

ab influxu voluntatis tanquam a concausa minus principali, omnino tamen necessaria ad libertatem actus, quod non pertinet ad imperfectionem gratiæ, sed ad essentialem dependentiam talis actus a tali potentia et ab indifferentia ejus ut vitalis sit et ut libera sit; quam proprietatem conservare voluit auctor gratiæ, et ideo tali modo et præmotionem gratiæ et concursus ejus accommodavit.

Quinta objectio.—Hæc præcipue fit contra doctrinam quamdam de gratia physice adjuvante ad primos actus justificationis, seu conversionis hominis in Deum, per primum actum fidei et pœnitentiæ. De quibus quia non supponunt habitus infusos, sed potius ad illorum infusionem disponunt, difficultas esse solet a quo principio proximo supernaturali juvetur voluntas ad illos efficiendos physice, seu secundum proximam ac per se realem efficientiam. In qua nos probabiliter opinati sumus immediate juvari voluntatem ab ipso met Spiritu Sancto, per suam infinitam virtutem supplete defectum habitus, qui tunc concurrere non potest, quia simpliciter loquendo prius natura fit talis actus a potentia, quam habitus ei infundatur, et habitus non infunditur ut actus fiat, sed quia factus est ex motione et auxilio Dei; seclusa autem efficientia habitualis principii, non videtur relinqui aliud principium inhærens sufficiens et proportionatum ad elevandam potentiam, quia nec dantur qualitates aliæ transeuntes quæ non sunt vitales, et illæ quæ sunt actus prævenientis gratiæ non videntur habere sufficientem proportionem et perfectionem ad illud munus; unde probabiliter concludimus, ut specialiter in his actibus Spiritus Sanctus per seipsum juvet voluntatem. Ita docemus libro 3 de Auxiliis, capite quarto, numero quinto et sequentibus, et capite sexto, numero sexto, in fine. Contra hanc ergo doctrinam objicitur quia gratia adjuvans debet esse inhærens et creata; ergo non potest esse ipse Spiritus Sanctus, etiam quoad illos primos actus. Antecedens probatur ex Concilio Tridentino, sessione sexta, capite quinto, dicente hominem moveri a Deo, ut per ejus excitantem ac adjuvantem gratiam ad justitiam se disponat: motio ergo Dei est gratia excitans et adjuvans.

Sed objectio hæc et materia ejus ad dogmata fidei non pertinet, neque etiam refert ad resolutionem principalis quæstionis quam in hoc opere tractamus, de physica prædeterminatione per solam gratiam per se effi-

cacem; nam, esto verum esset gratiam adjuvantem per modum principii ad hujusmodi actus debere esse inhærentem et creatam, nihilominus illa non esset talis motio physica prædeterminans, nam hæc dicitur esse ipsemet generalis concursus primæ causæ proportionatus actui supernaturali, qui concursus præsupponit principium proximum sufficiens, et ideo ab ejus defensoribus requiritur etiam ad actus qui ab habitibus eliciuntur; unde licet verum esset actus indeliberatos prævenientis gratiæ esse principia physica, et supplere activitatem habitus quoad primum consensum, nihilominus ultra hoc principium esset necessaria præmotio physice determinans juxta horum sententiam; et e converso, si isti auctores non requirunt aliam gratiam inhærentem adjuvantem ad hos actus præter physicam prædeterminationem, plane fatentur gratiam illam, quæ ad hos actus adjuvat per modum principii, et supplet vicem habitus, esse solum Deum, quia prædeterminatio physica non supplet vicem habitus, quandoquidem etiam cum habitu necessaria est. Igitur quæstio hæc, de modo quo physice juvatur voluntas per gratiam ad efficiendum primum actum supernaturalem, quo se disponit ad habitum, abstrahit ab alia disputatione de prædeterminatione physica, et in utraque sententia locum habet; mihi autem valde probabile est illud adjutorium solum dari voluntati per actualem motionem Dei, ut est expressa sententia divi Thomæ, 1 part., quæst. 62, articul. 2, ad 3, ubi de conversione per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam inquit: *Ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis*, estque hæc sententia satis communis in 4, distinct. 14 et 17, ubi præcipue videri potest Capreolus, dist. 14, quæst. 2, art. 3, ad primum Henrici contra primam conclusionem. Unde fit non esse necessarium quærere aliud principium proximum illius motionis præter Deum ipsum, tum quia motio illa non est ab habitu, ut supponimus, et, præter illum, nullum principium satis proportionatum; unde licet absolute non repugnet Deum uti alia qualitate transeunte, vel alio actu vitali tanquam principio physico, ad conversionem efficiendam, tamen hoc nec necessarium est, nec pertinens ad connaturalem modum efficiendi talem qualitatem; tum etiam quia illa motio Dei, ut physice attingit talem actum, non est motio præveniens, sed concomitans et adju-

vans, et ideo principium proximum illius potest esse ipse Deus, sicut est principium illius motionis quæ est per concursus generalem, quæ in ordine gratiæ pertinet etiam ad gratiam adjuvantem.

Ad objectionem ergo respondetur, gratiam adjuvantem, quoad actualem motionem, semper esse aliquid creatum vel inhærens; quoad principium vero efficiens illius motionis non semper esse necessarium ut sit forma inhærens, sed esse potest forma assistens aut coagens; sicut in visione beata, divina essentia, ut supplens vicem speciei, revera est principium adjuvans intellectum ad eliciendam visionem, et sub ea ratione dici potest gratia adjuvans, seu gratuitum principium; et tamen non est inhærens, sed assistens; sic ergo de quolibet alio principio gratuito dici potest, sive illud detur inhærens sive assistens, prout opportunum fuerit; cum enim parum referat ad commendandam gratiam et necessitatem ejus, et naturalem impotentiam liberi arbitrii ad eliciendos hos actus sola sua virtute; neque ex Concilio Tridentino aliquid invenio quod contra hoc urgeri possit, nam illud et loquitur indifferenter de gratia adjuvante physice aut moraliter, et de gratia formali, ut sic dicam, vel effective, sed hoc Theologis explicandum relinquit; in utroque autem adjutorio, scilicet morali et physico, invenitur aliquid creatum ac nobis inhærens, quod est motio Dei in nobis recepta, et aliquid quod est principium illius motionis, et potest esse ipsemet Spiritus Sanctus, ut patet ipsismet inspirationibus vel affectionibus Spiritus Sancti, quarum principium est ipsemet Spiritus Sanctus; illæ vero pertinent ad formale adjutorium, vel physicum, vel morale, quando cum illis homo actu operatur.

Sexta objectio.—Hæc est annexa præcedenti, quia interdum dicimus totam causalitatem auxilii excitantis esse moralem, ut libro tertio de Auxiliis, capite quinto, numero decimo. Imo etiam addimus totam causalitatem reduci ad motionem finis, ut in capite quarto, undecimo et duodecimo, et frequenter in illo libro hoc insinuamus, contra quam partem maxime objici solet quod verba Scripturæ ex quibus hæc gratia excitans seu præveniens colligitur, indicant propriissimam efficientiam, ac perinde non tantum moralem, sed etiam physicam, qualia sunt illa: *Deus est qui operatur in nobis velle; Faciam ut faciatis*, et similia.

Sed de hac objectionem tam multa dicta sunt

in superioribus, et in libro tertio de Auxiliis, ut ea repetere supervacaneum sit. Duo ergo sunt observanda: unum est, aliud esse dicere gratiam excitantem movere, inclinare et attrahere moraliter voluntatem; aliud vero esse cum exclusione, tantum moraliter movere illam. Prior assertio simplex certissima est, quia Deus per hanc prævenientem gratiam interius illuminat, docet, suavitatem tribuit, ut voluntatem ad consensum inducat morali et rationali modo, quæ omnia pertinent ad moralem motionem, directionem ac gubernationem. Atque ita explicat frequenter hanc motionem Augustinus, præsertim tractatu vigesimo sexto in Joann., libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. octavo, quæstione secunda ad Simplicianum, et libro secundo de Peccator. merit., cap. decimo septimo, et lib. de Spiritu et littera, capit. trigesimo tertio, et trigesimo quarto, et simili modo explicuit tractionem Patris ad Filium Cyrillus, lib. quarto, capit. sexto et septimo, et D. Bonaventura, Joann. sexto, et ibidem divus Thomas, lect. quinta; qui etiam ita explicuit verbum Christi: *Compelle eos intrare*, de efficaci persuasionem, quæstione vigesima secunda de Veritate, artic. nono, ad quintum. Posterior vero pars exclusiva majori indiget declaratione, sine qua non est asserenda, ne quis existimet negari omnem efficientiam physicam gratiæ Dei circa supernaturales actus.

Est ergo secundo considerandum aliud esse loqui de gratia excitante, præcise ut excitans est, aliud vero esse loqui de illa ut transit in adjuvantem; nam sub priori ratione verum est illam non habere efficientiam physicam in ipsum consensum liberum, quia ut sic præcedit saltem natura ipsum consensum, et ideo nondum esse potest actu efficiens physice, quia nondum consensus fit; imo potest re ipsa existere tota illa excitatio, et non sequi consensum, et consequenter nec actualem influxum in illum per efficientiam physicam; et nihilominus gratia excitans sic spectata allicit et moraliter attrahit quantum est de se, nam licet hic effectus, quatenus est illuminatio vel affectio, in genere causæ formalis physice fiat in ipsa voluntate vel intellectu, tamen in ordine ad consensum est metaphorica motio, quæ antecedere potest etiam tempore effectum intentum. Et quatenus mediante objecto honesto et delectabili voluntatem attrahit, reducitur ad motionem finis; quatenus vero persuadet et consulit, et per quamdam sympathiam ipsorum actuum inter

se, sic reducitur ad causam moralem effectivam. At ultra hanc totam causalitatem, in eo instanti vel signo naturæ, in quo actus conversionis fit, necessaria est physica operatio gratiæ. Quod si illa cooperatio est ab ipsa motione gratiæ operantis, tanquam a proprio principio per se ac physice influente (quod est probabile), jam non spectatur illa gratia ut præveniens et operans, sed ut adjuvans et cooperans; et quanquam necessarium non sit ut ipsemet motus gratiæ excitantis habeat hanc vim, saltem necesse est ut ratione illius sit paratus Deus ad juvandam physice voluntatem, si consentire velit, eo modo quo superius explicatum est.

Septima objectio. — Unde facile intelligitur quod diximus libro tertio de Auxiliis, capite quarto, numero decimo quinto, licet ordinariè priusquam trahatur voluntas ad supernaturalem consensum, excitetur non solum per illuminationem intellectus, sed etiam per indeliberatos motus ipsiusmet voluntatis, nihilominus posse Deum subito ita illuminare intellectum, ut immediate accendat voluntatem ad liberum consensum sine interventu alicujus affectus indeliberati. Quam sententiam aliqui impugnarunt, quia Concilia prævenientem gratiam requirunt ut necessariam, et illam ponunt non tantum in illuminatione, sed etiam in inspiratione et interna motione ipsius voluntatis.

Sed licet verum sit hunc esse ordinarium modum elevandi has potentias ab imperfecto ad perfectum, non est tamen dubium quin per efficaciam divinæ gratiæ possit aliter fieri; inter illuminationem enim et liberum voluntatis motum est quasi essentialis ordo, quia voluntas non potest ferri in incognitum; et ex hoc capite est magis et simpliciter necessaria excitans gratia per illuminationem, quam propterea sæpe Augustinus vocat sanctam cogitationem, ut videre licet libro primo ad Simplician., quæst. secunda, et lib. secundo de Peccator. meritis, cap. 17, et lib. octavo; motus autem indeliberatus voluntatis non est ita simpliciter necessarius ad deliberatum consensum, quia nec est principium per se illius, nec proponit illi objectum, neque habet cum illo aliquam aliam rationem essentialis ordinis. Ideoque licet ordinariè præcedant illi motus, vel quia necessitate quadam excitantur posita illuminatione, propter quod ipsamet illuminatio solet inspiratio vocari, vel quia naturale est homini proce-

dere ab imperfecto ad perfectum, et Deus movet hominem modo accommodato naturæ, nihilominus Deus, pro sua potentia et liberalitate, potest immediate elevare voluntatem ad liberum consensum, adjuvando illam gratia sua post illuminationem intellectus, quæ adeo perfecta esse potest, ut non indigeat indeliberatis motibus, imo vix illos admittat. Quæ doctrina sumitur ex divo Thoma 1. 2, quæst. 112, art. 2, ad secundum, ubi ita explicare videtur conversionem Pauli; et idem repetit quæst. 113, art. 7, in corpore, et ad primum, ubi optimam rationem reddit, quia virtus Dei est infinita, et motus liberi arbitrii potest subito fieri, et quod interdum requirit successionem, est ex imperfectione hominis, quam vincere potest Deus.

Octava objectio. — Tandem potest etiam ex dictis facile occurri alteri objectioni, quæ facta est contra aliam propositionem quam obiter diximus in dicto libro tertio de Auxiliis, capite quarto, nimirum, motum gratiæ excitantis non semper concurrere simul tempore cum libero consensu voluntatis. Quod ab aliquibus impugnatum est, quia inde sequitur gratiam excitantem non esse propriam causam consensu liberi; nam postquam transit, non potest per se concurrere; imo, si nulla sit ejus recordatio, nihil conducere, quia perinde est ac si non fuisset; si autem movet per recordationem, ad summum movebit per modum objecti per memoriam propositi.

Respondetur ibi præcipue esse sermonem de gratia excitante quoad motum indeliberatum, quem ponit in ipsa voluntate; de quo etiam adversarii non consentiunt inter se. Interdum enim asserunt illum motum indeliberatum non posse esse simul tempore cum deliberato consensu, vel quia non potest voluntas habere illos duos actus simul, vel quia indeliberatus et deliberatus motus requirunt diversas et quasi repugnantes dispositiones in intellectu. Sed quidquid sit de hac repugnantia, quæ necessaria non est, tamen non est dubium quin excitatio illa possit non habere effectum suum ultimum statim ac fit; potest non esse tam efficax; ergo potest tempore præcedere liberum consensum. Rursus non videtur dubium, quin, licet transeat actu, possit manere quasi in virtute, vel in semine, et quod hac intentione possibile sit, ut saltem per recordationem postea opportuniori tempore juvet. Sic enim affectus, verbi gratia, timoris, quem prius homo habuit, postea per recordationem propositus, et cum majori for-

tasse luce vel attentione, multum movere potest, et plus fortasse quam prius in re ipsa existens, propter diversam hominis dispositionem, vel propter majorem efficaciam divini luminis et internæ persuasionis. Unde non refert quod ille timor tunc objective tantum moveat, nam movet media sancta cogitatione et recordatione, quæ est vera gratia, et in ordine excitantis gratiæ potest tunc sufficere, quia partim formaliter, partim virtute continet vim illuminationis et inspirationis, seu affectionis; ergo nihil obstat quominus, adjuvante divina gratia, quæ semper præsto est, possit voluntas sic excitata in liberum ac supernaturalem consensum prodire. Et, ut opinor, non negabunt adversarii posse Deum voluntatem sic excitatam physice prædeterminare ad consensum, nulla enim repugnantia assignari potest, supposita possibilitate illius prædeterminationis. Quod ergo ipsi intelligunt fieri posse per physicam prædeterminationem, nos dicimus fieri posse per gratiam physice adjuvantem, absque prædeterminatione, cum sola cooperatione, quia illa gratia satis est in ratione adjuvantis physice ad supernaturalitatem actus, et ad libertatem juvat cooperans, impediret autem si esset prædeterminans.

CAPUT ULTIMUM.

ALIQUOT PROPOSITIONIBUS SOLUTIO TOTIUS OPERIS SUMMATIM COMPREHENDITUR.

Quoniam tota intentio nostra est refellere prædeterminationem physicam, in eo sensu quo a paucis annis inventa est, veramque gratiæ efficaciam absque tali prædeterminatione defendere et explicare, ideo ab ipso nomine prædeterminationis physice inchoandum est. Non enim displicet res propter nominis novitatem, ut quidam existimant; nam si res vera est, non male per illud nomen explicatur. Nec est in Ecclesia novum nova nomina rebus imponere, quando ad mysteria fidei explicanda vel hæreticos confutandos conveniens est. Trita sunt exempla, nec in re clara necesse est verba prodigere. Si ergo id, quod in præsentī controversia per illam vocem significari intenditur, verum est, satis commode illa voce explicatur, ut mox declarabimus. Valde igitur nobis placet, multumque desideramus ut, sub illa eadem voce, an dogma illud tenendum sit vel abjiciendum, Ecclesia

declaret. Atque hæc sit prima hujus capituli propositio.

Diligenter autem est a nobis vox illa, et per partes et conjunctim explicanda, ne fortasse in æquivocatione vocis aliquod lateat venenum, et ex voce inordinate usurpata error incuratur. Dicunt hoc tempore, qui prædeterminationem hanc physicam prædeterminantem conantur, *prædeterminationis* vocem idem significare quod vocem *prædestinationis*, aut *prædefinitionis*, aut *præordinationis*, ut hinc inferant, quoties Sancti Patres vel Scholastici Theologi docent Deum prædestinare, præfinire aut præordinare opera liberi arbitrii, prædeterminationem physicam, de qua nobis controversia est, docuisse credantur. Quam doctrinam ex nostris etiam libris eruere volunt. Nam Molina, in Concord., disput. prima, ad quæst. vigesimam tertiam, articulo primo et secundo, hæc verba ponit ut synonyma, prædefinitio, præstituo, prædetermino, præordino, prædestino. Et Suarez, libro tertio de Auxiliis, capite decimo tertio, numero decimo tertio, et libro primo, capite duodecimo et vigesimo tertio, ait (ut ipsi referunt) non magis repugnare libertati voluntatis creatæ physicam prædeterminationem voluntatis, intrinsece factam a Deo in tempore per physicam præmotionem, quam prædeterminationem extrinsecam efficacem factam per absolutam et efficacem Dei voluntatem, antecedentem omnem præscientiam mediam futuri consensu. Unde qui admittit (aiunt) hanc extrinsecam prædeterminationem cum libertate, tenetur illam admittere.

Nostra vero sententia, illius vocis significatio, in hac materia intenta, longe ab illa interpretatione distat, quod plurimum refert ad perspiciendum quid nostris libris ipsisque Patribus imponatur, quid vero recte allegetur. Est igitur imprimis statuendum verbum determinandi, et divinæ voluntati et nostræ tribui. Nam et divina voluntas determinat se ad id ad quod habet habitudinem non necessariam, ut loquitur D. Thomas, 1. p., q. 19, a. 3, ad 5; et voluntas humana determinat se per rationem ad volendum hoc vel illud, ut loquitur idem D. Thomas prima secundæ, quæst. 9, art. 6, ad 3. Simili ergo modo vox determinatio, et divinæ et humanæ voluntati tribuitur. Sic enim de Deo dixit D. Thomas, 2, distinctione vigesima quinta, quæst. prima, art. primo, ad primum, in illo *salvati liberum arbitrium quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso*. Et